



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA**

**TOAMASINENSIS\***

**IN MADAGASCARIA NOVA CONDITUR PROVINCIA ECCLESIASTICA, TOAMASINENSIS APPELLANDA.**

Spiritali progressionem omnium fidelium in variis ecclesiasticis communitatibus sedule faventes, cuncta subsidia disponere contendimus quo id facilius efficaciusque obtineatur. Quapropter suadente Congregatione pro Gentium Evangelizatione, habito favorabili voto quorum interest, haec quae sequuntur in Madagascaria decernimus et statuimus. Detractis dioecesibus Ambatondrazakae<sup>nsi</sup> et Moramangana a sede metropolitana Antananarivensi, et dioecesibus Toamasinensi et Fenoarivensi-Atsinananensi a sede metropolitana Antsirananensi, ex iis novam Provinciam Ecclesiasticam Toamasinensem

constituimus, cum sede principe in urbe Toamasinensi, omnibus iuribus datis ad normam canonum. Novae Ecclesiae Metropolitanae subicimus ut suffraganeas dioeceses Ambatondrazakae<sup>nsem</sup>, Moramanganam et Fenoarivensem-Atsinananensem. Pariter Venerabilem Fratrem Desideratum Tsarahazana, Episcopum hactenus Toamasinensem, ad gradum Archiepiscopi Metropolitanae Toamasinensis promovemus, cunctis tributis iuribus impositisque obligationibus. Ad haec perficienda deputamus Apostolicum in Madagascaria Nuntium, eidem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus peractae executionis ad Congregationem quam diximus. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo sexto mensis Februarii, anno Domini bismillesimo decimo, Pontificatus Nostri quinto.*

THARCISIUS card. BERTONE  
*Secretarius Status*

IVAN card. DIAS  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Di Felice, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. CII (2010), n. 5, pp. 266-267 © Copyright 2010 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana